



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Valentinvm I. Svb Damaso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO CHRISTI 373.  
 Teste Sozom. lib. 7. cap. 4. Acholius Theodosium imperatorem, anno Christi 379. baptizauit. Cum itaque ante eum Thessalonica Ireminus, Aetius, & Alexander; post eundem Anysius, teste Ambrosio, eidem Thessalonicensi ecclesie præfuerit, Paulinus aliquis his temporibus eiusdem ecclesie episcopus fuisse non potest. Vnde satis probabile apparet, quod Theodoretus pro Antiocheno, Paulinum Thessalonicensem dolose collocauerit, ea nimirum de causa, ne ex hac Damasi epistola ad eum scripta, catholicæ ecclesie communioni coniunctus fuisse videretur. Vide Baronium anno 378. numero 42.

CONCILIVM VALENTINVM I. SVB DAMASO.

Statuta Synodi apud ecclesiam Valentinam, sub die iv. Idus Iulias, Gratiano Augusto III. & Equitio v. c. consulibus, anno Christi CCCLXXIV. æra 413. Gratiani eiusdem Augusti, & Damasi papæ VII.

TITVLI CANONVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. De digamis non ordinandis.                                       | incesta lauatione polluerint.   |
| II. De puellis Deo deuotis, si ad terrenas nuptias transferint.     | IV. Si quis de se verum vel falsum crimen sub ordinatione professus fuerit. |
| III. De iis qui post acceptum baptismum sacrificiis se demonum, vel |   |

SYNODICA AD VNIVERSOS EPISCOPOS GALLIARVM.

*Dilectissimis fratribus per Gallias, & quinque prouincias constitutis episcopis, Fægadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Amilianus, Britto, Iustus, Euodius, Rhodanius, Eortius, Chrestus, Concordius, Constantius, Paulus, Antherius, Felix, Neoterius, Nicetius, Urbanus, Simplicius, & Vincentius, episcopi in Domino salutem.*

ANNO CHRISTI 374.  
**T**ransactis Valentie omnibus, & in Dei nomine in statu meliore compositis, quæ fuerant cœpta causa discidii, quorundam fuit fratrum utilis & religiosa suggestio, retractandum etiam de his, quæ nec recipere possumus ob ecclesie sanctitatem, nec tamen vsurpatæ consuetudinis causa damnare. Ita enim per omnes ecclesias

eiufmodi vitiorum germen inoleuit, vt ad plena remedia difficilis fit recursus; certe non sine verecundia eorum quos causa contingit. Quocirca, fratres, librato diu, moderatoque consilio, ea cautela ratio seruata est, qua & scandala submoueret, & sanctitatem ecclesiae custodiret.

ANNO  
CHRISTI  
574

## CANONES.

### I.

**S**EDIT igitur, neminem post hanc Synodum, qua eiufmodi illicitis vel sero succurritur, de digamis, aut internuptarum maritis, ordinari clericum posse. Nec requirendum, vtrumne initiati sacramentis diuinis, an gentiles, hac se infelicitis fortis necessitate macularint, cum diuini praecipiti casta sit forma. Sed quia fratrum nostrorum vel imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam praesumptionem damnare non possumus, nec per omnes ecclesias quae sunt iampridem male gesta corrigere; placuit etiam de eorum statu qui prius ordinati sunt, nihil reuolui, si nulla extrinsecus causa procedat, qua indigni ministerio comprobentur.

### II.

De puellis vero quae se Deo vouerunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt poenitentia his nec statim detur; & cum data fuerit, nisi plene satisfecerint Deo in quantum ratio poposcerit, earumdem communio differatur.

### III.

Circa eorum vero personas, qui se post vnum & sanctum lauacrum, vel profanis sacrificiis da-

ANNO  
CHRISTI  
374

monum, vel incesta lauatione polluerint, eam cen-  
suræ formam duximus esse seruandum, vt his iux-  
ta Synodum Nicænam satisfactionis quidem adi-  
tus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel solatii  
ianua desperatione claudatur: acturi vero pœni-  
tentiam vsque in diem mortis, non sine spe tamen  
remissionis, quam ab eo plene sperare debebunt,  
qui eius largitatem & solus obtinet, & tam diues  
misericordia est, vt nemo desperet. Deus enim  
mortem non fecit, nec latatur in perditione vi-  
uorum.

Synodus  
Nicæna  
cap. 11.

## IV.

Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiæ  
utilitate censuimus, vt sciretis, quicumque se sub  
ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel e-  
piscopatus, mortali crimine dixerint esse pollutos,  
a suprascriptis ordinationibus submouendos, reos  
scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsita-  
tis. Neque enim absolui in his potest, quod di-  
ctum in alios puniretur: cum omnis qui sibi fue-  
rit mortis causa, maior homicida sit. Diuina vos  
pietas in æternum custodiat, fratres dilectissimi.

## SUBSCRIPTIONES.

Ego Florentius episcopus ecclesiæ Viennensis subscripsi.  
Ego Æmilianus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Eumerius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Artemius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Euodius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Antherius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Rhodanius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Chrestus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Neoterius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Vrbanus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
Ego Paulus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.

Ego Simplicius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
 Ego Iustus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
 Ego Eortius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
 Ego Britto episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.  
 Ego Concordius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere. eodemque modo & alii deinceps subscripserunt.

EPISTOLA EIVSDEM CONCILII  
 AD CLERVM ET PLEBEM ECCLESIAE  
 FOROIVLIENSIS.

*Dilectissimis fratribus, clero & plebi ecclesiae Foroivliensis, Fagadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Aemilianus, Britto, Iustus, Euodius, Rhodanius, Eortius, Chrestus, Constantius, Paulus, Concordius, Antherius, Neoterius, Nicetius, Urbanus, Felix, Simplicius, & Vincentius, episcopi in Domino salutem.*

QUAMVIS ram ea benedictus frater noster Concordius de sanctissimi Accepti persona suggesserit, quae prudenti & Christiano viro digna sunt, quam quod studio omnium vestrum ad honorem sacerdotii poscatur, edixerit: tamen quia in Synodo iam federat, ordinationes huiusmodi submouendas, quae sine scandalo esse non possunt; non potuimus praestare vni quod ceteris negabatur. Et licet non ignoraremus, multos verecundia, & nonnullos suscipiendi sacerdotii metu trepidos, quae utique signa sunt sanctitatis, falsa in se reiiciendi honoris causa dixisse: tamen quia omnium fere ad ea quae sunt peiora proclive iudicium est, & materies disputationum ex obtreptione sacerdotum Dei quaeritur; sedit in Synodo, ut quisquis de se vel vera vel falsa dixisset, fides ei, quam suomet testimonio confirmaret, haberetur. Quapropter decretum est submouendos protinus esse ab eo gradu, quem ab omni scandalo liberum esse decet. Diuina vos pietas in aeternum protegat, fratres dilectissimi.

Canon. 4.  
huius Concilii.

DECRETA

ANNO  
CHRISTI  
374\*

DECRETVM SIVE STATVTVM VNVM  
DICTI CONCILII VALENTINI,

Iuxta Decretum Gratiani vel Iuonis, & iuxta 39. cap.  
lib. 3. codicis sexdecim librorum, ex monasterio  
sancti Bauonis Gandensis excerptum est.

*Nisi ut meliora prospiciat, rem ecclesie non liceat distrabere  
episcopo.*

<sup>\*conni-  
ocntia.</sup> Irrita erit episcoporum donatio, vel venditio, vel  
commutatio rei ecclesiasticæ, absque \* collaudatione &  
subscriptione sacerdotum.

Hoc decretum 12. quæst. 2. sine exceptione dicitur, aut scri-  
bitur esse ex epistola Leonis ad episcopos, per vniuersam Sici-  
liam. In decretis autem Iuonis libro secundo legitur, secundum  
exemplar impressum, esse ex Concilio apud Valentias. Nec ta-  
men reperitur in epistola Leonis, vbi supra, nec in Valentino  
Concilio Gallie aut Hispanie, sed in decretis Concilii 4. Car-  
thaginensis capite 32.

ALIVD DECRETVM VALENTINVM.

*Non nisi a propriis episcopis presbyteri chrisma petant.*

Presbyteri, qui diœcesanas ecclesias regunt, non a <sup>De conf.  
dist. 4.  
Presbyteri  
qui diœces.</sup> quibuslibet episcopis, sed a suo; non per iuniorem cle-  
ricum, sed per seipos, aut per illum qui eiusdem or-  
dinis sit, ante Pascha solennitatem chrisma petant.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Neque enim absolui.* ] Paulo vberius codex Lugdunensis: *Ne-  
que enim absolui in his potest, si in ipsos se dixerint quod dictum in  
alios puniretur.* Eademque verba interferunt etiam Rhemensis,  
Anitiensis, & Fossatensis, vt causæ nihil appareat cur omitti de-  
beant. Quæ vero sequuntur episcoporum subscriptiones, ex vni-  
co Rhemensis depromptæ sunt, in aliis non erant.

<sup>2</sup> *Eortius.* ] In codice Anitiensi, qui eadem omnia quæ Lugdu-  
nensis continebat, literula olim adiecta, tum hoc loco, tum initio  
Synodi, scriptum est Euortius, vt de Aurelianensi Euortio accepit  
se dubium non sit.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

**Causa Con-** <sup>a</sup> *Concilium.* ] Causam habiti Concilii statuti Canones eam fuisse  
**cili.** indicant, vt ecclesiæ Gallicanæ mores quidam deprauati emenden-  
tur. Inter episcopos autem qui huic Concilio adfuerunt, primum  
locum tenuit Fœgadius ille, ad quem sanctus Ambrosius 55. epi-  
stolam scripsisse legitur. Rhodanius hic recensitus alius est ab il-  
lo, quem cum Hilario ob causam fidei relegatum & in exilio de-  
functum esse, refert Sulpitius lib. 2. Eortius est, qui a tempore  
sancti Siluestri Aurelianensem ecclesiam signo cælesti gubernan-  
dam accepit.

<sup>b</sup> *Valentinum.* ] Multiplex est Valentia, vt indicat Abrahamus  
Ortelius in suo thesauro geographico.

**Valentia** <sup>c</sup> *Valentinum.* ] Multiplex est Valentia, vt indicat Abrahamus  
**qualis vrbs.** Hæc est ciuitas Allobrogum, qui nunc Sabaudienfes & Pede-  
montani vulgo dicuntur, estque in Gallia Transalpina, non procul  
a Vienna ad Rhodanum sita. Meminit eius Plinius & Ptolem. lib. 3.  
cap. 9. Huius vrbs episcopus est suffraganeus archiepiscopi Vien-  
nensis.

**Tempus** <sup>c</sup> *Anno Christi 374.* ] Inter chronologias consulum, imperato-  
**Concilii.** rum, æræ Hispanicæ, & Christi nati, optatissima est conuenientia.  
Quamobrem ea, quæ supra in notis Concilii Nicæni de supputatione  
æræ Hispanicæ diximus, mirifice confirmantur.

**Can. 1.** <sup>d</sup> *Sedit.* ] id est, placuit. De bigamis ordinandis, vide quæ diximus  
supra in notis ad Can. apost.

<sup>e</sup> *Nec illud fratres scribere alienum.* ] Iuxta huius Canonis decre-  
tum, sanctus Ambrosius ab episcopali munere arcendus erat, nisi  
populi in eo petendo constantia quauis lege ac constitutione  
superior fuisset. Anno Christi 374. Auxentio Ariano Mediolanen-  
si episcopo defuncto, Ariani Arianum, catholici catholicum  
præsulem non sine graui discordia & seditione expetierunt. Ad  
quas euitandas, cum Ambrosius vrbs illius, & totius Insuæ  
& Æmiliæ præfectus, adhuc catechumenus in ecclesia ad popu-  
lum orationem haberet, *subito*, inquit Paulinus in vita sancti Am-  
brosii, *vox fertur in populo sonuisse Ambrosium episcopum, & qui*  
*ante turbulentissime dissidebant, repente in hunc unum mirabili & in-*  
*credibili concordia consenserunt.* Quorum clamoribus Ambrosius  
tamquam tonitruo percussus, primo obstupuit; mox vt populum  
& clerum ab ea sententia auocaret, se truculentum iudicem episco-  
patu indignum ostenderet, tribunal conscendens, quæstiones a-  
cerbissimas præter morem in reos cœpit exercere. Sed cum hæc  
spectans populus magis magisque clamaret, *Ambrosium episco-*  
*pum*: spe ille frustratus ad potiora remedia conuertit animum,  
que progressus est, vt speciem quamdam hominis impurissimi & ab  
episcopali castitate & vita remotissimi præ se ferret, populumque  
ab eo consilio dimoueret, impudicas mulieres ad se publice ingredi  
fecit. At cum hæc velut in scena fictæ repræsentari populus non  
ignoraret, ea que ex causa ardentiore studio Ambrosium episcopum

**Ambros.**  
quomodo  
factus sit  
episcop.

**Ambros.**  
episcopatu  
refugit.

ANNO  
CHRISTI  
374.

postulare non intermitteret, seque populus peccati illius, quo specie quadam & simulatione effectum esse non dubitabat, reum clamaret, totamque adumbrati criminis poenam in se reciperet, sibi-que imprecaretur, omni prorsus ille consilio destitutus, in sola fuga spem ponit. Arreptam fugam Dei consilio ac voluntate mirabili modo impediri videns, maximo cum gaudio Valentiniani imperatoris & Probi praefecti, qui ipsi Mediolanum proficiscenti dixerat: *Vade, gere te non ut praefectus, sed ut episcopus*; oneri se libenter submitit. Ad hos igitur populi tumultus sedandos & componendos, ab ecclesia non immerito concessum fuit, ut ad eorum instantiam ordinaretur episcopus, qui alioqui secundum huius, aliorumve Canonum constitutionem, ab episcopali munere arceri ac prohiberi debuisset. Vide notas Canonis 7. apost. 79. Item Can. 2. in Conc. Nicæno.

CONCILIVM ANTIOCHENVM

IN CAUSA SCHISMATIS ANTIOCHENI,  
SVB DAMASO.

NOTÆ.

ANNO  
CHRISTI  
377.

<sup>a</sup> *Concilium Antiochenum.*] Gregorius Nyssenus in epistola ad Olympium monachum, de vita obituque S. Macrinæ sororis, scribit, orthodoxos orientales episcopos, per edictum Valentis ab exilio relaxatos, suisque ecclesiis sanctione Gratiani imperatoris restitutos, nono mense post obitum S. Basilii Antiochiæ convenisse, ut prostrata orientali ecclesiæ paribus votis ac suffragiis consulere-nt & auxilium ferrent. *Post hanc aëturam* (nempe obitus S. Basilii episcopi Cæsareæ Cappadociæ) *nonus mensis, inquit, aut paulo amplius, cum episcoporum Concilium indictum est Antiochiæ, cui nos item interfuimus.* Cum igitur auctoritate eiusdem Gregorii & Hieronymi certum sit Basilium in exordio anni 378. ipsis nimirum Kalend. Ianuarii vita defunctum esse, hoc Antiochenum Concilium anno præcedente mense septembri celebratum fuisse, necessario est concedendum. Vide Baron. num. 35.

Tempus  
Concilii.

Basilii obitus  
quando  
contigerit.

<sup>b</sup> *In causa schismatis Antiocheni.*] Antiochena ecclesia, a tempore obitus Iuliani Apostatæ, diro ac periculoso admodum schismate exagitata fuit. Principio enim tres episcopi erant in vna ciuitate, nempe Meletius, ab Arianis; Euzoius, in locum Meletii depositi; & Paulinus a Lucifero Calaritano episcopo sedis apostolicæ legato institutus. Cum Meletio communicabant catholici illi dumtaxat, qui ab Arianis baptizati fuerant. Alii vero catholici Eustathiani, qui fidem catholicam perpetuo seruarant, quod Meletius ab episcopis Arianis episcopus creatus fuerat, quodque eiusdem fautores catholici ab Arianis baptizati essent, eum su-

Antiochena  
ecclesia  
schismati-  
bus exagita-  
tur.

Concil. Tom. 3.

R r ij